

Basillii capitaneus XXXII galearum navigans tunc temporis in partibus Ermenie inventa quadam navi Pizanorum et Placentinorum in qua ipse Petrus tunc temporis navigabat, septingentas libras Turenenses et plures eciam per violentiam abstulisset. Fuerunt ipse dominus Dux et consilium instante dicto Petro ex parte domini Petri Calvelli tunc baiuli Montis Pesulani primo et secundo per dominum Johannem de Ripalta eius in dicto officio successorem litteratorie requisitus ut ipsi Petro satisfactionem debitam facere et emendam de dicta pecunia cum expensis factis legitime per eundem pro prosecutione negotii supradicti quod hucusque facere distulerunt. Processu vero temporis Guilielmus de Fraganesco ambaxator domini ducis et concilii coram nobili viro domino Petro Calvelli tunc baiulo dicti loci compars in curia Montis Pensulani in qua pro illustri domino Maioricharum Regi baiulus presidebat ipsum ex parte domini ducis et consilii cum magna instantia requisivit ut preconizationem publice fieri faceret talis continencie in effectu, videlicet; quod quecumque persona de Montepelusano vel ibidem habitans conquereretur modo quolibet de Venetis comuniter vel de persona qualibet singulari, coram dicto domino baiulo compareret et suam querimoniam exposeret et scribi faceret coram eo quum paratum se offerebat, nomine dicti domini ducis stare iuri coram ipso domino baiulo cuilibet conquerenti de dicta comunitate prout predicatur comuniter vel de eius subditis ut predicatur singulariter quoquomodo, qua preconizatione facta predictus Guilielmus de Fraganesco discessit de Montepesulano sine conscientia baiuli supradicti, cuius Petri de Quatorlenguis requisicio est in curie predictae proposita et inserta, cumque idem Petrus nullam satisfactionem hucusque fuerit assecutus de dicta pecunia particulariter vel in totum, idcirco idem Petrus burgensis domini Regis Francorum illustris maioris domini dicti loci ex parte domini Mileus de Noerij militis honorabilis domini Regis predicti, ipsi domino duci et consilio patentes litteras presentando continentes inter cetera ut eidem de quantitate predicta sibi ablata faciant seu fieri faciant satisfactionem idoneam et condignam cum restitutione expensarum factarum pro prosecutione negotii supradicti; supplicat humiliter et requirit quatenus ipse dominus dux et con-